INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXVIII—MDCCCLXIX 1868/69

A DIE XV. M. OCTOBRIS VSQVE AD DIEM XX. M. MARTII

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Th. Bergk   Epicharmi reliquiae II

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR
HERMANNVS KNOBLAVCH
CVM SENATV
S. D.
CIVIBVS SVIS.

Epicharmi reliquias cum nuper emendare instituerim, iam omissis iis locis, qui graviora vitia contraxerunt, leviora quaedam quam potero brevissime perstringam.

In amplo fragmento ex Hebae nuptiis Lorenzius p. 230 v. 4:

τὰ διελεῖν μέν ἐστι χαλεπά, καταφαγεῖν δ' εὐμάρεα,

non debebat secundum Ahrensium *ἐϋμάρεα* scribere, sed corrigendum *καταφαγῆμεν δ' εὐμαρέα*, atque video nunc id ipsum a Meinekio occupatum. In eiusdem comoediae frustulo p. 231:

Καρκίνοι θ' ἵκοντ' ἐχῖνοί θ', οἵ καθ' ἁλμυρὰν ἅλα
νεῖν μὲν οὐκ ἴσαντι, πεζᾷ δ' ἐμπορεύονται μόνοι.

sane novissimum vocabulum ineptum, sed verum non est assecutus Ahrensius, qui *μόνον* scripsit; poetam, qui cancrorum tardum incessum descripturus est, *μόγις* decet. — In eiusdem fabulae versu **10** p. 233 Ahrensius metrum imperfectum supplevit:

Μύες (ἔτ') ἀλφησταί τε κορακῖνοί τε κοριοειδέες.

sed verisimilius Meineke *μύες ἅμ'* scripsit, nisi forte *μῦες* est scribendum, ut Hesiodus *δρυὸς* priore producta extulit, et *μυοδόκος* est apud Nicandrum Ther. 795: nam quod Choeroboscus dicit p. 115 in Batrachomyomachia *μυσὶν* et correptum et productum legi, nunc quidem productionis nullum extat exemplum, sed v. 173 et 174 correptum legitur. Sed valde mihi suspectum *κοριοειδέες*, quod nigricantes interpretantur, ut ab oculi pupula *κόρη* vocis origo sit repetenda, quod prorsus incredibile: sane Oppianus Hal. I. 133 huius piscis nigrum colorem testificatur *κορακῖνον ἐπώνυμον αἴθοπι χροιῇ*, Aristophanes pinnis certe nigris instructum esse indicat, *μελανοπτερύγων κορακίνων*, verum Athenaeus VII, 309. A non a corvi colore, sed a frequenti oculorum (*κορῶν*) motu nomen accepisse contendit. Iam apud Athen. IX. 308 E. omnes libri exhibent *κοροειδέες*, 304 E *κορακοειδέες*, 282, A *κοριοειδέες* AP, *κηριοειδέες* PVL. Nescio an

†

κιρροειδέες sit scribendum, Apollodorus certe ap. Athen. VII. 281 E, ubi *ἀλφηστὰς* memorat, qui hic una cum coracinis recensentur, descripsit *τὸ μὲν ὅλον κιρροειδεῖς* (ita C a pr. m. et Etym. M. 72, 52, *κηροειδεῖς* PVL et Crameri An. Paris IV. 55), *πορφυρίζοντες δὲ κατά τινα μέρη*, et Aristoteles ib. *ἐν τῷ περὶ ζώων* testatur *μονάκανθον εἶναι καὶ κιρρὸν τὸν ἀλφηστικόν*. Ceterum idem versus etiam in Musis fuit fr. 13 p. 240, cui subiungendum fr. 7, nam hic quoque versus pariter in utraque fabula legebatur. — In Musarum versu p. 238:

Ἀντὶ τοῦ
Κόγχος, ἂν τέλλιν καλέομες· ἔστι δ' ἅδιστον κρέας.

prima verba vix integra, tentari possunt plura, mihi videntur plane segreganda: nam credo Athenaeum, qui modo amplum illud fragmentum ex Hebae nuptiis adscripsit, tantum addidisse, v. 8 in Musis aliter scriptum extare: nam de lectionis potissimum varietate agi ipsum illud *γράφεται*, quo Athenaeus utitur, indicio est: igitur in hunc modum locus redintegrandus: *ἐν δὲ Μούσαις γράφεται ἀντὶ τοῦ* (hic iterandus versus *κόγχος, ἅπερ κογχοθήραν πᾶσιν ἐς τρισώνια*) *κόγχος, ἂν τέλλιν καλέομες κτλ.* et deinde de hoc versu pluribus disserit. Iam vero geminus versus ex Hebae Nuptiis, quem nemodum probabiliter restituit, ita videtur emaculandus:

Κόγχος, ἅπερ κογχοθηρᾶν παισίν ἐστ' οἰκώρια.

h. e. conchae, quibus piscatorum pueri ludere solent: *οἰκούρια* enim puerorum sunt ludicra, vide quae ad Pindari Pyth. IX. 19 adnotavi. Usos esse autem pueros his conchis tanquam bucina ipse Athenaeus testatur infra p. 85. F: *τὰ παιδάρια δὲ, ἡνίκ' ἂν εἰς τὸ στόμα λάβωσιν, αὐλεῖν ἐν ταύταις καὶ παίζειν, καθάπερ καὶ παρ' ἡμῖν τὰ σπερμολόγα τῶν παιδαρίων ταῖς καλουμέναις τελλίναις κτλ.* [1])

In Musarum fr. 8 p. 239 *γόγγρων παχήων* non erat tolerandum, conieci:

Οὔτε γόγγρων τις τριπαχέων οὔτε μυραινᾶν ἀπῆς.

Nam si *γόγγροι* fuerunt *ἀνδραχθεῖς* et *ἁμαξιαῖοι* (vide Athen. VII. 288 c.), licuit poetae congros trium cubitorum adhibere. — Megaridis fragmentum p. 246 maxime notabile, quoniam paeonicos versus mihi deprehendere videor, cuius numeri vestigia in Epicharmi fabulis alibi non supersunt:

Ὄρνα, τυρίδιον, κωλεοί, σφονδύλοι·
τῶν δὲ — — ◡ — βρωμάτων οὐδὲ ἕν.

[1]) Possis sane etiam aliter locum conformare; nam festivissimi poetae leporem praesertim in tanta librorum corruptela vix licet certa ratione assequi, velut *ἅπερ κογχοθηρᾶν παισὶ τᾶς ἰσωνίας*, i. e. pueris tanti sunt, quanti in foro venduntur, sed hoc frigidiusculum et ambiguum, quoniam *κογχοθηρᾶν παῖδες* etiam ipsi piscatores dici poterant: hanc ambiguitatem evitabimus, si *οἰκώρια* restituimus.

nam v. 2 aliquid interceptum esse non solum versus lex, sed etiam ipsa sententia arguit; etenim edulia etiam ea, quae supra poeta recensuit; sententiae institutae consulas hoc fere modo:

τῶν δ᾽ (ἐπακτῶν παρῆς) βρωμάτων οὐδὲ ἕν.

V. 1 Ὄρυα revocavi, quod Casaubonus scripsit, cum in libris sit ὄρεα, recentiores ὀρύα ediderunt: correptam autem passim fuisse novissimam syllabam videtur Aristarchus testari, vid. Theognost. in Cram. An. Ox. II, 106, 19: οἰσύα, κωδύα, καρύα, ἰξύα, σικύα, ἰγνύα, ὀρύα. Ἀρίσταρχος συστέλλει τὸ ᾱ καὶ ἐκτείνει τὸ ῡ καὶ προπαροξύνει, ἐναλλαγὴν τόνου καὶ χρόνου πεποιηκὼς (ita restituendum ex Bekkeri Anecd. III. p. 1382 in indice v. ἰγνύα.), ὥς φησιν Ἡρωδιανός. Videtur haec adnotatio ad novissimum vocabulum ὀρύα spectare, quamquam fortasse latius patebat: Lobeckius Pathol. II. 29 ad ὀξύαν retulit, quod antea Theognostus adhibuit, parum verisimile ratus Aristarchum de ignobili nomine ὀρύα locutum esse, id quod mihi quidem secus videtur. Iam correptionem ultimae syllabae hic ipse versus testatur, productionem paenultimae non item, sed fortasse fluctuabat usus, ut Epicharmus, quem saepius hoc nomine usum esse et vel fabulae hoc nomen indidisse auctor est Athenaeus, alibi eam syllabam produxerit; atque Hesychius Epicharmi comoediam ὀροῦαν inscriptam fuisse testatur, ubi corrigunt ὀρούα, sed potius ὄρουα scribendum. [2]) Magis offendit, quod deinde τυρίδιον (in libris est τηρίδιον) antepaenultima producta poeta extulit: sed tuentur productionem exempla, quae ad Aristophanis Fragm. p. 1060 adhibui; non solum ab ἀργύριον descendit ἀργυρίδιον alia id genus, sed etiam a deminutivis, velut et τιτθίον et τιτθίδιον extat, δακτυλίδιον autem olim etiam τὸ δακτυλίον in usu fuisse fidem facit; ita quod Teleclides τυρίον dixit, Epicharmo est τυρῖδιον. Sin tamen quis neget hoc ferendum esse, poterit τυρίδιον ἧς scribere, nam τυρίσκιον nimis recedit a librorum scriptura neque alias legitur. — Perialli unum extat fragmentum p. 249; quae de hoc titulo Lorenzius p. 147 alios secutus exposuit, improbabilia sunt omnino; περίαλλος (haec enim iusta est vocabuli forma, cf. Meineke ad Alciphr. p. 108) secundum grammaticos est ἰσχίον, eiusmodi titulus non magis ab Epicharmi ingenio abhorret, quam Ὄρυα sive Ὄρουα, qua quidem in fabula, si recte Meinekius apud Hesychium s. h. voce σύστρεμμα πολιτικὸν emendavit, factiosos cives exagitatos esse coniicias; sed hoc incertum, nam videtur hic poeta rempublicam omnino non attigisse. Iam fabulae, quae Περίαλλος inscripta fuit, argumentum fabulare fuisse suspicetur aliquis, ut Oedipodis et filiorum discidium illustraverit, vid. Schol. Soph. Oed. Col. 1375, sed cum constet veteres modos musicos efficax ischiadicis remedium adhibuisse, vide quae Theophrasto auctore narrant Apollon. Mirab. c. 4, Athen. XIV, 624. A, Plinius H. N, XXVIII 21, fortasse comicus aliquem hoc morbo laborantem induxit; certe huic suspicioni non adversatur unum quod superest fragmentum, quod ita redintegrandum censeo:

Σεμέλα δὲ χορεύει
καὶ ὑπαυλεῖ ψιλὰ σοφὸς κιθάρᾳ παριαμβίδας· ἃ δὲ γεγάθει
πυκινῶν κρεγμῶν ἀκροαζομένα.

---

[2]) Etiam tituli fabularum olim doricae dialecti legibus accommodati, velut Ἡρακλῆς ὁ παρ Φόλῳ fuisse videtur, non παρά, certe Apollonius testatur Dorienses παρ Φόλῳ dicere solitos esse.

in libris est v. 2 *καὶ ὑπαλίσφιν σοφός*, ubi *ὑπαυλεῖ* delitescere iam Schweighaeuserus vidit, sed reliqua non recte procuravit, *σφιν σοφὸς ἐν κιθάρᾳ* scribendo: nam neque *σφιν* quo referatur est, neque fidicen artis suae peritus tibiis canere solebat: neque tamen Grotefendi coniectura *ὑπᾴδει* probabilior. Athenaeus cum *παριαμβίδας* musicum organon fuisse dicit, a vero aberrat, organon ipsum *παρίαμβος* dictum, vid. Pollux IV 59.; *παριάμβιδες* idem inter *νόμους* refert, quibus *ψιλοὶ κιθαρισταί* usi sunt, IV, 66: *τὸ μέντοι τῶν ψιλῶν κιθαριστῶν ὄργανον, ὃ καὶ Πυθικὸν ὀνομάζεται, δακτυλικόν τινες κεκλήκασιν· νόμοι δ' αὐτῶν Διός, Ἀθηνᾶς, Ἀπόλλωνος· ἴαμβοι, ἰαμβίδες, παριαμβίδες*. Paullo planius Hesychius, testem adhibens Apollodorum, qui in libro de Epicharmo hunc ipsum poetae comici locum illustraverat, *παριαμβίδες παρὰ τοὺς ἰάμβους αὐτάς* (cod. *αὐτὰ*) *φησι πεποιῆσθαι, ἃς οἱ κιθαρῳδοὶ ᾄδουσιν*, quamquam non recte Apollodori explicationem breviator interpretatus est, siquidem citharoedis tribuit, quae citharistarum fuerunt; adde Hesychium: *ἰαμβαυλεῖν· τὸ δι' αὐλοῦ παριαμβίζειν ἐν τῇ κιθάρᾳ καὶ ᾠδῇ*. Sed Photius quoque falso inter *νόμους κιθαρῳδικοὺς* refert p. 395. 20: *Παρίαμβοι καὶ παριαμβίδες καὶ ἴαμβοι· κιθαρῳδικοὶ νόμοι, οἳ προςηύλουν*, ubi legendum *οἷς* (*καὶ*) *προςηύλουν*, et hoc quidem additamentum inprimis hunc Epicharmi locum illustrat, ubi si verum assecutus sum, tibicen una cum citharista canticum modulatur (*ὑπαυλεῖ κιθάρᾳ παριαμβίδας*), nullo quidem carmine subiecto (*ψιλά*). — Philoctetae fragmentis poterat inseri versus, quem Lorenzius p. 296. 8 exhibet:

Οὔτ' ἐν κάδῳ δηλοίμην οὔτ' ἐν ἀμφορεῖ.

ubi olim conieci *παλοῖ νιν*, quemadmodum enim *πηλὸς* vinum adulterinum dicitur, ita etiam *πηλοῦν* ad malas has artes transferri licuit; nisi forte fuit: *οὔτ' ἐν κάδῳ ζεῖλ' ὑμιν οὔτ' ἐν ἀμφορεῖ*. — In Sphingis Fr. 1. p. 252 vitiosus anapaestus non erat tolerandus, corrigas:

ἀλλ' οὐχ ὁμοῖα ταῦτ' ἐρινεοῖς οὐδαμῶς.

Ollarum versus p. 254, quorum prior vitioso spondeo laborat, ita videntur restituendi:

Ἀλλ' ὅμως καλαί γα πῖοί τ' ἄρνες εὑρησοῦντί μοι
δέκα νούμους πωλάν· καλᾶς γάρ ἐντι τᾶς ματρός.

legebatur *καλαὶ καὶ πῖοι ἄρνες . . . νούμμους πωλατιᾶς γάρ*. Expectaveram praeterea *πῖαι*, sed cum omnino solitaria haec adiectivi sit forma, nihil novavi. V. 2 *πωλάν*, qua voce etiam Sophron usus est (vid. Phot. 479, 13.), dixit *τιμήν*, quemadmodum *ὠνὴ* passim dicitur, nisi *πωλᾷ* malis. Ceterum a librorum scriptura propius abesset *πωλάν· ἐπίας γάρ*, sed correptam esse priorem syllabam parum verisimile, itaque *καλᾶς* scribere malui. Ibidem *νούμους* scripsi et eodem modo in proximo Fr. legendum:

Κᾶρυξ ἰὼν
εὐθὺς πρίω μοι δέκα νούμων μόσχον καλάν.

nam *νούμμων*, quod quidem pervagata latini nominis scriptura nummus tuetur, plane adversatur numeri legi, neque tamen *νόμων* cum Abrensio scribendum, etsi Siculi etiam hac forma

usi sunt, ut testantur tabulae Heracleenses, sed plebeia forma ut opinor fuit *νοῦμος*. Siculi non aliter atque Latini pronuntiabant, itaque Boeotorum more *ου̅* scripserunt, quamvis syllaba esset brevis, id quod Epicharmi versus arguunt. Non solum veteres, velut Varro, Festus, Pollux, sed etiam recentiores velut Boeckhius, Ahrensius, Mommsenus, Hultschius [3]) censent Romanos hoc vocabulum a Graecis colonis in Sicilia et Italia repetiisse, qui germano vocabulo *νόμον* dixerint, mihi secus videtur; Italicarum gentium proprium fuit vocabulum, quod deinde Graecorum coloni receperunt: neque obstat, quod Latinis prior syllaba est longa, Siciliensibus brevis; nam idem etiam usu venit in *λίτρα*, quod Latinis est l ī b r a, a Siculis et productum et correptum esse videbimus infra, quamquam alias Sicilienses syllabarum quantitatem diligenter tuiti sunt, [4]) velut docent *λέπορις, ῥογός* (sive *ῥόγος* malis), *πατάνα*. [5])

Sed quandoquidem nummorum Siculorum mentio facta est, eadem opera etiam Fr. 1 et 2 comoediae, quae *Ἁρπαγαί* inscripta fuit, mendis liberabo: p. 221 prioris fragmenti versus ultimus imperfectus, sed unus liber addit *τῶ τι λόγῳ*, quod alii aliter corrigere studuerunt, Bekkerus et Lorenzius plane spreverunt; ego olim fuisse credo:

δεχόμεναι, καὶ πάντα γινώσκοντι τῷ τ ι ῷ λόγῳ.

i. e. u t t u q u i d e m d i c i s, quemadmodum Rhintho dixit *τίω*: i. e. *σοῦ*, potuit etiam Epicharmus *τιὸς* dicere, quamquam si quis praeferat *τεῷ*, haud adversabor. Alterum autem Fr. graviter corruptum, nec successit criticis emendatio, cum non animadverterint *βαλάντιον* hic prorsus praeter morem prima syllaba correpta legi, cum alias ubique producta sit vel etiam *βαλλάντιον* scribatur. Bekkerus edidit *ἐγὼ γάρ τό γε βαλάντιον λίτρα καὶ δεκάλιτρος στατήρ, ἑξάντιόν τε καὶ πεντώγκιον*, nihilque omnino adnotavit, ut in libris ita verba scripta esse videantur, quamquam ex codd. enotatum est *λιτροκεδεκάλιτρος στατὴρ ἑξάντιόν τε πεττόγκιον*. Ego haec periclitatus sum:

. . . *Ἐγὼ γάρ, ὅκα βαλάντιον λ ί τ ρ α ς ἔ χ ῃ,*
δ ε κ α λ ί τ ρ ο υ ς σ τ α τ ῆ ρ α ς, ἑ ξ ᾶ ν τ', ὀ γ κ ί α ν, πεντόγκιον.

Ὀγκίαν ex Epicharmo afferunt Photius et Eustathius ponderis vocabulum testati, neque tamen obstat, quominus credamus alibi apud hunc ipsum poetam nummum significavisse. Ceterum apud Epicharmum utrum *ὀγκία* an *οὐγκία*, an denique *ὠγκία* scribendum sit, possis ambigere:

[3]) Nisi quod Hultschius non prorsus improbat formam *νοῦμμος*, Boeckhius *νούμμος* scribere mavult.

[4]) Ceterum Latinorum sermo, qui multas subiit vicissitudines, ac syllabarum quoque mensuram saepius immutavit, fortasse olim etiam haec vocabula n u m u s et l i b r a correpta vocali usurpavit.

[5]) Vocabulis, quae Sicilienses ab indigenis asciverunt, fortasse addendum est obscuratum nomen, quod delitescit in Diphili versibus *ἐν Σικελικῷ*, quos Pollux IX. 81 affert:

οἷον ἀγοράζειν πάντα μηδὲ ἓν δ' ἔχειν,
εἰ μὴ κικίννους ἴξίους λίτραιν δυοῖν.

Quis vero unquam crines in foro venales illo saeculo fuisse audivit: credo corrigendum esse *κ ι κ ί ρ ρ ο υ ς*, ita Siculi gallos gallinaceos videntur vocitavisse: cf. Hesych: *κίκιρρος· ἀλεκτρυών*, quod non recte a graeco vocabulo *κιρρός* repetunt, nam apparet propter vocem gallo hoc nomen inditum esse, atque hinc Horatiano Messio (Sat. I. 5. 52) Cicirri cognomentum adhaesit.

ὀγκίαν Epicharmo Photius et Eustathius vindicant, sed *ἡμιούγκιον* antiatticista Bekk. I. 98, 33 ex Epicharmo affert, atque *οὐγκία* Aristoteles alii dixerunt: *ὠγκία* minimam habet auctoritatem, nam Pollucis libri *πεττόγκιον*, non *πεντώγκιον* exhibent. Quod in nummis Syracusanis legitur *ΟΓΚΙ.*, ambigua est haec scriptura [6]), si priscae sunt aetatis.

Video nunc etiam Hultschium Script. metrol. I. 293 hunc Epicharmi locum adhibuisse, quem sic conformavit:

Ἐγὼ γὰρ . . . [τό γε βαλάντιον]
λιτροδόκᾳ λίτραν στατῆρ' ἐξάντιον [τε] πεντόγκιον,

sed eiusmodi interpretamentis Pollucis libros auctos esse ignoro, neque *δεκάλιτρος στατήρ*, quod plane in codicibus legitur, erat coniectura teutandum. Neque offendor correpta syllaba vocis *δεκάλιτρος*, quamquam sane et apud Epicharmum et apud alios *λίτρα* producte dici solet, velut apud Nicandrum Alex. 329, atque in Monum. Ancyr. *λείτρα* scriptum, tamen Damocrates in medicae artis praeceptis pro arbitrio et correpte et producte enuntiavit.

Epicharmi sententiam p. 257 possis ad iambos revocare, si scripseris:

Αὔτα φύσις
ἀνθρωπίων ἀσκοὶ πεφυσιαμένοι.

certe deminutivum vocabulum huic loco aptissimum, sed *πεφυσιαμένοι* vix rectum, nam *φυσιᾶν* est spirare, neque *φυσιᾶσθαι* ad eum modum dicitur, quo *φυσᾶσθαι*, i. e. inflari. Videntur septenarii anapaestici reliquiae esse:

Αὔτα φύσις ἀνθρώπων, ἀσκοὶ φυσάμενοι.

neglecta diaeresi, ut est in Aeschyleo versu *νῦν δ' αὖ τρίτος ἦλθέ ποθεν σωτήρ*. Saue praesentis temporis loco praeteritum hic aptius, neque tamen *ἀσκοὶ ποιφυξάμενοι* satis placet. Huius dicti consilium videntur interpretes non satis assecuti esse; poeta nihil aliud dicit, quam quod Timo sillographus apud Euseb. Praep. ev. XIV. 18:

Ἄνθρωποι κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί.

qui hoc Epicharmeum respexit. — Exordium Fr. 43 p. 270 nondum restitutum, poeta haud dubie scripserat:

Θαυμαστὸν οὐδέν ἐστι ταῦθ' οὕτω πέλειν.

non *λέγειν*: ibidem versum novissimum dudum ante Cobetum suppleveram *ὄνος δ' ὄνῳ κάλλιστον, ὗς δέ θην ὑΐ*, nam *θὴν* encliticam voculam esse docet Apollonius in Bekk. An. II. 525, 18. — Nobilissimus versus p. 279, quem fortasse etiam Cicero ad. Att. VIII. 2. 3 respexit, mihi hunc in modum redintegrandus videtur:

Ἁ δὲ χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει· δός τι, τόκα τί κα λάβοις.

---

[6]) Sed videntur recentionis aetatis esse, cf. Brandis Münzwesen in Vorderasien p. 279.

Fr. 56 p. 275 non debebat Lorenzius Naekii coniecturam recipere, quae mihi quidem parum commoda videtur; tentavi haec:

οἰοναὶ μύκαι γὰρ ἐξεσκληκότ' ἀποπνιξεῖσθέ με.

Versum Fr. 72 p. 280 unus Ahrensius laborare sensit, sed non placet, quod proposuit; ego dubitanter commendaverim:

(καὶ) φασήλους φῶγε θᾶσσον, αἴχ' ὁ Διόνυσος φλέῃ.

non φιλῇ, ut est in libris: hoc est, si vinum abundet, aut quod malim, si vitis gemmascat sive florescat: cf. Plut. Quaest. Symp. V. 8. 3, quamquam late patet verbi vis, hinc Hesychius φλεῖ, γέμει, πολυκαρπεῖ, εὐκαρπεῖ. Ceterum conferas Aristoph. Pac. 1143: ἐμπιεῖν ἔμοιγ' ἀρέσκει τοῦ θεοῦ δρῶντος καλῶς· ἀλλ' ἄφευε τῶν φασήλων ὦ γύναι τρεῖς χοίνικας . . . οὐ γὰρ οἷόν τ' ἐστὶ πάντως οἰναρίζειν τήμερον, οὐδὲ τυντλάζειν, ἐπειδὴ παρδακὸν τὸ χωρίον. — Fr. 90 p. 284 corrigas:

Μόρων νέον τὸ φῖτυ.

quod nunc legitur φυτὸν interpretamentum est; cf. Photius 650. 9 et Hesychius: φῖτυ· φυτόν, φύτευμα, Φερεκράτης.

Denique Fr. 120 p. 290 verba τρὶς ἀπεδόθη ζόος, quae servavit Herodianus in loco satis impedito, de quo praeter Lehrsium egit Lobekius Pathol. II. 62 et 121, non carent offensione; nam videntur haec dicta esse de servo maligno, qui iam ter veniit, cf. Menandrum (T. IV. p. 201.) παλίμβολος τρίπρατος, vel etiam de filio familias, quem pater mancipio dedit, ut apud Siculos et fortasse etiam apud Sicilienses eadem lex olim fuerit, quam Romae decemviri sanxerunt: si pater filium ter venum duit, filius a patre liber esto.[7]) Verum sive hanc sive illam interpretationem sequimur, mirum accidit, quod ζόος additur, quasi mortuos quoque vendere aut mancipio dare liceret. Itaque aut accipiendum est de homine, cuius bona iam ter venierunt, ut comicus poeta ipsius hominis nomen pro bonis ac familia adhibuerit, aut scribendum τρὶς ἀνεδόθη ζόος, quae dicere poterat Epicharmus Pythagorae de animorum migratione placita perlustrans. Verbum ἀπεδόθη quominus venum ivisse interpretarer, non deterritus sum Cobeti admonitione Lect. Nov. p. 159, qui Hesychii glossam ἀποδοθῇ· πραθῇ vehementer sibi suspectam esse dictitans, recte quidem observavit passivi verbi notionem a medio vocabulo ἀποδίδοσθαι h. e. venum dare alienam esse, sed Attici sermonis haec proprietas fuit; Hesychius autem omnem Graeci sermonis consuetudinem comprehendit, atque solitaria, ut par est, multo magis quam pervagata notavit: nulla igitur causa est, cur grammaticum,

---

[7]) Alias quoque passim apud Italiotas et Sicilienses indigenarum instituta deprehenduntur, velut Dinolochus ap. Pollucem IV. 174 τετταρακονταλίτρους τινὶ νεανίσκῳ πέδας ubi dicit, in memoriam revocat legem XII tabularum de addictis: ni iudicatum facit . . . . secum ducito, vincito aut nervo aut compedibus: XV pondo ne maiore, aut si volet minore vincito.

qui tot graves errores commisit, immerentem culpemus. Vera sunt quae idem Cobetus ib. 703 adnotavit, veteres (rectius Atticos dixeris) *νόμον κεῖσθαι*, non *τεθεῖσθαι* dicere solitos esse; quemadmodum etiam *ἆθλον κεῖσθαι*, non *τεθεῖσθαι* dixerunt (nam vitiosum est, quod Valkenarius apud Eurip. Alcmaeon. fr. 68, 7, ubi est: *ψυχὴν γὰρ ἆθλα τιθεμένην ἐμὴν ὁρῶ*, volebat *τεθειμένην* restituere, sed iure *κειμένην* Lobeckius correxit): item *ὄνομα κεῖται* frequentant, neque vero *τέθειται*, ut idem Cobetus Lect. I. 311 seq. observavit; neque tamen Aristophanis versum Thesmoph. II. fr. 9:

Ἄμφοδον ἐχρῆν αὐτῷ τεθεῖσθαι τοὔνομα,

ubi Cobetus *τίθεσθαι*, Herwerdenus *γε κεῖσθαι* requirit, sollicitaverim; nam proletariorum scriptorum consuetudo fere repetenda est ex parvis primordiis: frequentant isti, quae antea iam probi scriptores aliquando admiserunt. Verum haec accuratius persequi hoc loco non licet, Cobetum autem virum de Graecarum litterarum monumentis restituendis eximie meritum, ut est ingenuo animo, certo scio hunc dissensum haud gravate laturum esse, quamquam suo ille quidem iure conqueritur de nostrorum hominum petulantia et iniquitate, qui cum plurima ex Cobeti libris perdiscere possint, aut omnino discere ac dediscere nolunt, aut quae ille recte observavit, tacite in suum usum convertunt, si quid secus iudicavisse videtur, invidiose perstringunt et ex summi viri obtrectatione gloriolam captant. Sed quod Cobetus effrenatam hanc licentiam ex publicarum rerum statu in Germania repetit, omnino errat: nam cum circa huius saeculi initium litterarum antiquarum studia laetissima caperent incrementa, et magnus deinceps clarorum virorum numerus academias et scholas nostras ornaret, procul arcebatur taetra invidia et importuna petulantia, quamvis civium iura arctis admodum vinculis constricta essent. Nunc ubi rerum publicarum forma mutata satis libertatis adepti sumus, in hac ingeniorum bonorum penuria ista vitia longe lateque grassantur. Et qui nuper conatus est refellere quae Cobetus nostris hominibus opprobrio vertit A. Velsenus, quamvis invitus confirmavit. Simulat enim ille, quem suis sodalibus paulo modestiorem esse credideram, in Symbolis philologorum Bonnensium I. 432, se imprimis aegre ferre, quod Cobetus vel Meinekio temere foedam adulationem vel importunam petulantiam exprobaverit: at hic defensor in manifesto peccato tenetur, nam Cobetus eodem loco, quo conqueritur de iniuriis sibi illatis, libere professus est (Lect. Nov. p. XXI) se cum Meinekio, Dindorfio, Bergkio, et si quis alius horum similis sit, lubentissime contendere, quoniam certo sciat, illos sequi Socraticum morem, quem Plato in Gorgia p. 458. A. exposuit. Curandum omnino, ne foeda haec calumniandi cupiditas latius serpat, neve iure dici possit, quod nuper Carolus Badhamus, vir ingeniosus et honestatis amantissimus, (praef. ad Platonis Euthydemum et Lachetem p. LIII) iecit: *ὅτι ὅσοι τῶν Γερμανῶν πονηροί εἰσι, διαφερόντως εἰσὶ τοιοῦτοι.*
